



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Annotationes Ioannis Bugenhagij Pomerani in decem epistolas Pauli**

**Bugenhagen, Johannes**

**Basileae, 1524**

**VD16 B 9232**

[Capvt I.]

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36165**

# IN EPISTO L A M P A V L I A D P H I

lippenses Annotationes Ioannis Bugen  
hagij Pomerani.



Iustificatis per fidem Christi hæc epi-  
stola scribitur, quapropter monet  
eos Paulus in uinculis, ut pergāt cre-  
scere in fide Christi, & mutua inter  
se charitate. Vtranq; uastant insigni-  
ter humanæ iustitiæ prædicatores siue doctores. Dñ  
enim ab eis docti iustitiã & salutem operibus tribui-  
mus. ueram iustitiam & salutem, id est Christum amit-  
timus. Nihil enim Christus nobis utilis est, si ex operi-  
bus est iustitia. ad Gala. 2. Si per legem est iustitia, igi-  
tur Christus frustra mortuus est. Et 5. Christus fa-  
ctus est uobis ociosus, id est nihil utilis: quicumq; per  
legem iustificamini, à gratia excidistis. Vbi uero iusti-  
tias operum amplexi fuerimus, quæ quæso concordia  
inter nos esse potest? Non enim fieri potest, ut negle-  
cta uera iustificatione, alij alijs suis operibus præfe-  
rant, alij alios non iudicent, cum alijs non contendant  
&c. Hinc surgunt odia, æmulationes, sectæ: quales  
fructus hæcenus uidimus, Christianam charitatem

ANNOT. IOANNIS POMERANI

nusquam uidimus. Maledicta ergo operum iustitia  
 quæ tales peperit fructus. Idcirco in hac epistola ma-  
 los operarios, & hosce iustitiæ humanæ prædicato-  
 res egregia infamia damnat, & caueri iubet, nempe  
 qui sunt totius Christiani ædificij destructores. Nisi  
 enim Christi iustitia nos saluet, manemus id quod su-  
 mus, id est cæci & damnati. Saluat autē si in eum cre-  
 dimus. Porro si uere in eum credimus, id erimus fra-  
 tribus, quod ipse factus est nobis, ut sicut ipse se humi-  
 liauit propter nos, ita nos inuicem subiecti simus in ti-  
 more dei per charitatem. Aduerte, quod ubi apostoli  
 dei præcipiunt opera, non alia præcipiunt quàm illa,  
 quæ necessaria fidem comitantur, & quæ spiritus, qui  
 cor possidet, sua natura requirit. Vnde fructus spiri-  
 tus adpellat Paulus ad Gala. 5. Sunt enim uiuæ testi-  
 monia uiuentis intus fidei. Et hoc ideo præcipiunt, si-  
 ue potius monent, ne torpentes diripiamus fastidire  
 quæ spiritus sunt: ut agnoscentes ex uerbo dei, quò per-  
 gendum sit, suspiremus sæpe ad deum, sine quo nihil  
 possumus facere, qui dat nobis & uelle, & posse pro  
 sua bona uoluntate: & quod coepit ipse in nobis opus  
 bonum, perficiet usque ad aduentum suum: ut hic dicitur  
 tur cap. 1. & 2. Vbi uides nihil tribui nostris conatis  
 bus, ne initium quidem fidei. Pseudapostoli uero, ubi  
 præcipiunt opera, sic præcipiunt, ut in ipsis doceant  
 queri iustitiam, immo ipsam esse iustitiam, nõ iustitiæ

*Opera testimo-  
 nia uiuentis  
 fidei*

IN EPI. PAULI AD PHILIP. 20

præcedentis fructū: & præpostere, ex fructibus arborum producere uolunt. Et præterea in primis operæ docent, & magnificiunt, quæ spiritus ipse non requirit. Et item illa uetant, quæ spiritui nihil aduersantur: id quod ideo faciunt, ut suæ gloriæ consulant & uentri, quos hic uocat inimicos crucis Christi, & qui deū habeant uentrem, & finem gloriæ suæ confusionem.

Paulus ac Timotheus serui Iesu Christi.

Iste est uerus titulus Christianorum & ministrorum uerbi dei.

Vnà cum episcopis ac diaconis.

Vide plures episcopos in una ciuitate. Sunt ergo ministri uerbi dei, & dispensatores mysteriorum. sicut Paulus ad Corinthios uocat. Diaconi autem sunt sanctorum ministri ad hoc ab ecclesia electi, ut dispensent bona ecclesiæ pauperibus, seruiētes eis pro ut opus fuerit. Ad hoc debent eligi probatissimi ciues, qui fideliter rem curent, ne fiat sicut hætenus, quādo neglectis pauperibus occuparūt sibi bona ecclesiæ, qui dispēsatōres esse debebant. Sic enim apostoli diaconos electuri cōsultabāt. Act. 6. Non est æquū nos derelinquere uerbū dei, & ministrare mēsis. Cōsyderate ergo fratres uiros ex uobis boni testimonij septē, plenos spiritus sancto, & sapientia, quos constituamus super hoc

## ANNOT. IOANNIS POMERANI

opus: nos uero orationi & ministerio uerbi instantes erimus. Et placuit sermo corā omni multitudine. De episcopis & diaconis, legis 1. Timoth. 3.

### Gratia uobis & pax &c.

Deo, quod est nomen maiestatis, addidit nomen patris, ne uerearis nomen maiestatis, quia audis & patrem esse & patrem tuum. Iesu Christo uero nomen maiestatis, addit, dominum uocans, ne ut uilem contemnas, quod pro te homo factus sit.

### Gratias ago deo meo in omni &c.

Veri apostoli est non solum prædicare, sed & orare ut spiritus dei operetur in cordibus auditorū, & præterea iugiter gratias agere deo, sicubi senserit uerbū dei promouisse. Talis enim ostendit se uere à deo missum, & auditorum quærere & sitire salutem. Cuius hic egregium exemplum uides in Paulo.

### Persuasum habens hoc ipsum.

Vides hic quod supra diximus tantum abesse, ut nostro arbitrio, nostrisq; uiribus & consilijs in re salutis aliquid tribuatur, ut etiam ne incipere quidem possis. quod bonū est, nisi deus det. Ipse enim est alpha & ω, principium & finis omnium. Porro bonum opus, primum est fides, Ioan. 6. Hoc est opus dei &c. Deinde charitas, id est fidei fructus.

### Perficiet usq; ad diem Iesu Christi.

Perseuerantiam

IN EPIS. PAULI AD PHILIP. 21

Perseuerantiam notat: nisi enim perseueraueris, nō peruenies ad finem. Inter principiū uero ei finem experieris quā necessarius sit tibi Christus. Nisi enim ipse stultarum ~~omnium~~ pastor esset, quis inter tot casus, tot tentationes mētis & corporis persisteret? Psalmo 36. A domino gressus hominis dirigentur, &c.

Sicut iustum est mihi.

Qui uere diligit in Christo, non potest male sentire de fratre. timere uero fratri potest, atq; hoc ipsum facit charitas. Habes igitur hic exemplum ueri pastoris ponentis, exemplo Christi, animam suam pro ouibus suis, & diligentes etiam in uinculis, non carnali aliquo, sed Christiano adfectu: id quod dicit in uisceribus Iesu Christi.

Et illud oro ut charitas uestra, & cætera.

Vult augeri inter nos mutuam charitatē, sed in agnitione & omni sciētia: id est, in fide & cognitione Christi, ne ipsa opera icipiamus præferre fidei, uel pro iustitia accipere: hoc est, quod in Rhom. ait: Ex fide in fidē, ut spirituales simus, quo dijudicamus omnia. ut probetis inquit, quæ sunt præstantia: id est, quæ bona placēt diuinæ uoluntati. Id quod ad Rhom. 12. sic dicitur, ut probetis quæ sit uoluntas dei, quod bonum est acceptumq; & perfectum, ut bene placeat nobis quicquid,

**ANNOT. IOANNIS POMERANI**

quacunq; etiam occasione, siue propter euangelium, siue propter peccatum nostrum nobis acciderit: scientibus quod omnia è manu benigni patris & pastoris nostri accipimus. Præstantia ergo sunt, ut deum præferamus omnibus hominibus, & charitatē omnibus præceptis & legibus, & operibus. Sicut Christus in Euangelio docet sæpe, & ipso exemplo ostendit.

**Vt sitis sinceri.**

Sinceri primum fide, ne patiamini cognitionē Christi traditionibus, & doctrinis humanis permisceri. Deinde charitate, ut talis sit adfectus in proximum, qui etiam sciat tolerare eius infirmitatem, ne scandalo simus quocunq; modo. Caritas enim omnia suffert, sicut uides Christū multa in infirmis discipulis dissimulasse et tulisse. In summa, sic nos scire uult, ut nostra scientia non abutamur. 1. Cor. 8. Scientia inflat, charitas ædificat. Si quis existimat se scire aliquid &c.

**In diem Christi.**

Rursum perseverantiam notat.

**Scire autem uos uolo fratres.**

Quia diligit, ut amicis quæ circa eum acta sunt notificat. simul per hoc cauens, ne ista sua persecutio scandalo sit infirmis adhuc mentibus, donec discant oportere nos cruce glorificari, quæcunque tandem nobis à deo imponitur. Sic ad Ephes. 3. Obsecro, inquit, uos

ne deficiatis in tribulationibus meis pro uobis, quæ sit gloria uestra. Diligentibus deum ( ut est in Rhoma. ) & omnia cooperantur in bonum, etiam ea quæ caro iudicat pessima. Ita dum confessores Euāgelij impetuntur maledictis, persecutionibus, morte, tantū abest ut hæc noceant, ut per hoc mirus ille artifex deus, Euāgelium promoueat, ut incredulis, & adhuc ignorantibus notum fiat quid agatur, qui forte nondum audierunt: & iam credentes confirmantur, uidentes non seductores fuisse prædicationem, pro qua prædicator iam audet mori.

### Nonnulli quidē per inuidiam.

Nihil hic dicit de illis prædicatoribus, quæ aliud quàm Christi doctrinam prædicant, qualium iam plenus est orbis. Quomodo enim de illis gauderet Paulus? Et ipse hoc satis expressit, dicens: Christus tamen adnunciatur. de illis ergo dicit: Qui Christi doctrinam prædicant. quorum quidam hoc ipsum faciunt maligno animo, ne scilicet liberetur Paulus, qui talis sectæ author, propter quam ubique suscitatur tumultus, & perturbatur reipublicæ tranquillitas. Hæc uero quatuor genera prædicatorum, ut quidam putant, hic describuntur: sed tantum duo. Duo autem quæ uidentur membra posteriora, expositio tantum sunt, & declaratio duorum præcedentium. Atq; hic habes quod etiā ipsa ueritas à multis, nō tamen uere annuntiat.



**ANNOT. IOANNIS POMERANI**

ut semper cogites regnum dei non esse in sermone, sed  
in uirtute, &c.

**Nam mihi uita Christus est.**

Exponit qd' dixerat, Magnificabitur Christus &c.  
Siue enim uixero, Christo uixero nō mihi, eius gloriā  
predicabo, & opere predicationis fructū faciā: id est,  
utilis ero ijs qui audituri sunt ex me uerbū. sic Gal. 2.  
Viuo autē iam nō ego etc. siue moriar, meo lucro mori  
ar. Defunctus enim huius uitae periculis et meo officio,  
cū Christo coronabor in illo die. sicut dicit 2. Tim. 4.  
Ego iam delibor &c. Hoc quanquā mihi melius esset,  
illud tamen magis uobis necessarium. Hic est sublimis  
sanctorum affectus, quē nos, tam ad spiritalia adhuc  
rudes, intelligere non possumus: tamen ad hoc ista uti-  
liter legimus, ut uideamus & agnoscamus nostram im-  
becillitatem, quā longe scilicet adhuc absimus à re-  
gno dei, qui crucem & mortem, ut rem damnatissimā,  
fugimus & horremus: & tamē cū Paulus sit traditus,  
dicit infra ca. 3. Nō quod apprehēderim & perfectus  
iam sim, &c. Vbi ergo sunt qui frigidis suis operibus,  
& ceremonijs & sectis uēdicant sibi perfectionē? &c.

**In uestrum profectū, & gaudium.**

In gaudium fidei uestrae: id est, ut gaudeat fides ue-  
stra, ut gloriemini, siue exultetis ubertim, et pleno gau-  
dio per Christi spiritū. Gloriemini inquā in me, uel de

de tantis

me quod ad uos redierim. Vide mutuum sanctorum gaudium. Illi gloriantur de Paulo, & Paulus de ipsis. sicut sequenti capite dicit: Ut gloriari possim in die Christi &c. Non est hæc carnalis gloria, sed quæ fit, ut ait, per Christum Iesum. Sic ad Rho. 1. Ut communem capiam consolationem in uobis, per mutuam fidem uestram simul & meam. 1. Corin. 12. Si glorificatur unum membrum, congaudent omnia membra.

**Tantum ut dignum est Euāgelio.**

Ab hoc loco usque ad eum locum ubi dicit in sequenti capite: Spero autem in domino Iesu &c. maxime commendat charitatem inter ipsos mutuam, quæ non potest esse, nisi sine contentione nobis mutuò subdamur, uno animo idem sentientes. Id fiet si impermixtam & puram seruamus Christi doctrinam, non admittentes doctrinam hominum, gloriantium in operibus, & misere (quia canes sunt) lacerantium sacrum Christi corpus. Non enim fieri potest, ubi alius admiserimus, quàm purum dei uerbum, ut non contendamus, ut non gloriemur in nobis, ut non iudicemus alios, ut nō alijs nos præferamus, ut sectis nō separeremur à Christi corpore. Sicut Esaie 1. dominus dicit: Quomodo facta est meretrix ciuitas fidelis plena mendacij. Iusticia habitauit in ea &c. Et certe hactenus insignis cæcitatibus & monstruosorum scelerū peccatas incurrimus ob contemptū euangelij, & receptas

Canes:

Matth. 15. doctrinas humanas . de quibus saluator: Frustra collit  
me, docētes doctrinas, etc. Id quod est uere idololatriā  
cōmittere, & erigere aliud scilicet quā dei, & in lo  
co dei erigere, & humana pro diuinis adorare. Cōtrā  
ubi purum est Euangelium, illinc simplex est fides, &  
syncera charitas. Nō enim possunt dissentire, qui unū  
habent dei uerbum: gloriari in se, qui norunt omnia se  
per misericordiam dei accepisse: iudicare alios, qui  
semper cogitant illud, Domino suo stat aut cadit. Hic  
licet diuersa sint dona, diuersa opera, diuersa exera  
citia, diuersae cruces: nemo tamen studijs alterius ob  
loquitur, quicquid singuli faciunt placet omnibus. In  
firmitates aliorum tolerant, donis mutuò utuntur ad  
utilitatem, alter alteri condolet, alter alterum iuuat.  
Et in summa quisq; se submittit alijs, nō æquat aut pre  
fert. Sic sentiūt uere Christiani. Atq; ut hoc persuades  
at Paulus, maximo utitur Christi exēplo, qui se summe  
deiciendo & submittēdo ad summā peruenit gloriā:  
ut hic merito pudeant qui Christianū sibi uendican  
tes nomē, contentione & inani gloria sua spectant &  
sequuntur, nunquā ad ueram gloriā peruenturi, qui  
potius scandala sunt Christianorū, quā Christi mem  
bra, & fiunt tandem doctrinarum humanarum autho  
res, qui de Euangelio gloriabantur.

Et hoc à deo.

Quod scilicet hoc, est uobis causa salutis, ne meritū

IN EPI. PAULI AD PHILIP. 24

tibi adscribas, quia pateris. Habes enim hic locū, quod Patip deo pati non potest pro deo: sicut nec credere deo, nisi de- donū est. us det. Nouimus Petrum suæ præsumptioni poenas de disse, quando negabat Christum. Vigilate & orate, inquit dominus, &c.

CAPVT II.

**P**rosequitur quod cœperat, ut diximus supra, nō monens solum, sed & per omnia sacra Christi- anorum adiurans, obiecto etiam Christi exemplo, ut non superbe sentiamus, &c.

Is adfectus sit in uobis.

Loquitur de Christo homine, cuius exemplum no- bis proponit: is non probauit, non arbitratus est, non uoluit rapere gloriam deo, cum tamen uere etiam es- set in forma dei: id est, deus uerus. Gloriam enim, & omnia ubique tribuit patri, ut uides in Euangelio Ioh- annis. Sed depositus à gloria maiestatis, descendit non solū ad homines, uerū etiam infra homines, ut propter nos obediēs esset patri ad mortē usq; etiā turpissimā, Esa. 53. Idcirco data est ei omnis potestas in cœlo & in terra, Matth. ultimo. Accepto nomine, in quo solo nos oportet saluos fieri, Acto. 4. Cui omnes populi, tribus & linguæ seruiunt, Dani. 7. Ita ut tremāt etiā portæ inferorū ad tantam Christi gloriā: sicut dicitur ad Ephe. 3. Vt innotescat principibus & potestatibus